



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Qvibus Totvm Hominis Christiani Officivm Explicatvr; Quidque is fugere,
quid agere debeat, quàm exactiſimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindellicorum ; Dilingæ, 1695

Discursus XXIX. De Detractione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45964](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45964)

DISCURSUS XXIX.

De Detractione.

I. **S**I iidem Aphorismi
proportione qua-
dam locum habent
in cura Animorum,
quibus Ars Medica
in curandis corpo-

ribus utitur, cogor hodie Detra-
ctionibus alienae famae mali nuntij bajulus
esse. Non dicam, quod de illorum
salute desperem, dico tamen, male eos
habere, ac haud paulò deterius, quàm
ipsi sibi persuadeant. Apud Meden-
tes, Axiomatis instar obrinet, quod in
acutis praesertim morbis certissima si-
gna ex linguae habitudine colligi pos-
sint, ita ut huius in manifestanda mor-
bi naturâ fides certior sit, quàm arte-
riae pulsus. Si in ore febriliter laborantis
linguam conspicimini instar extincti
carbonis nigram, & instar ardentis
accensam; etiamsi Arteriae pulsus
aliud loqueretur, nolite ei fidem ha-
bere; linguae potius credite; & para-
te ad sepulturam necessaria; Infirmus
enim paulò post funus erit. *Lingua*
nigra & virulenta, calamitosissima,
Idipsum dicam in Animorum vestro-
rum curâ. Si arteriam quorundam
exploro, rectè se habet. Multi illo-
rum frequentant Tempia, jejuniò sub-
inde intra hebdomadam se macerant;
publicè privatimque preces ad Deum
fundunt. Rectè ista se habent. At si
linguam maledicentiâ inflammatam,

& quod peius est, nigram, toxicam
infectam respicio, timeo, ut quod in
est, fatear, occultam quandam & non
facile medicabilem malignitatem
quae mortem, eamque aeternam ce-
cerat. Quæso igitur, attentis hodie
animis auribusque adeste; etenim
non aliud, quàm mali huius gravi-
tatem intellexeritis, sola hæc remedia
non parum efficacis loco esse pos-
set.

II. Optarem quidem omnem
ore vestro maledicentiam, si tantum
promittere mihi unquam possem,
quàm longissimè in exilium amanda-
re, præ cæteris tamen illam, quæ oc-
cultè famam proximo, si non tollat,
nuit certè, & Detraçtio dicitur: hæc
duobus modis. Primò, quando
nocendum famæ Proximi fallum spe-
gitur: secundò, quando verum quic-
dem dicitur, sed occultum; aut no-
tum quidem, verum exaggeratum de-
auctum; aut cum in bonam par-
tem accipi posset, detortum in ma-
stram. In primo peccatur graviter,
cum malitiâ detractionis etiam me-
daciùm accedat. In secundo non ita
quidem graviter, magis tamen fre-
quenter. Et idè quia hoc malum
admodum commune est, quod nullo
negotio quilibet agnoscere in se ipso
potest; hoc potissimum hodiernæ
Dissertatione petere constitui. Et

*Hipp. in
Cosc.
Præn.*

ecce, dum me ad rem accingo, oculis
fese meis ingens illa fera exhibet,
quam S. Propheta Daniel in visioni-
bus suis mysterio plenis spectabilem
habuit, triplici terribilium dentium
ordiae armatam: & in hac plus quam
in alia qualibet perfectam aliena fam-
am detrahentis elugiem agnosco; qui
hanc dubie fera est, cum sit humani
generis inimicus, & os habeat, quod
non tantum dentibus armatur ita exa-
curis, ut S. Spiritus eos gladios dicat:
Genatio, quæ pro dentibus gladios ha-
bet. Sed insuper dentes hos triplici
ordine ac serie dispositos, quibus si-
mul eodemque momento tres omni-
no strages edat, stragem in Proximi
absentis famam, quam primò ante ocu-
los posam: stragem in animo Pro-
ximi presentis, quam secundò; &
stragem in ipsa Anima Detraactoris,
quam ut cæteris graviozem tertio loco
persequar.

I.

III. Primò itaque Detraçtio famam
devorat Proximi absentis, & sic
uno bolo plus consumit, quam famo-
sa illa Regina, quæ nobili suo hospi-
ti in una margarita liquefacta plus
quam dimidii millionis pretium bi-
bandum propinavit. Nihil exagge-
rat: *Melius est nomen bonum, quam
divitia multa*: Magisquæ est æstima-
bile nomen Justii, quam totius Mun-
di caduceæ divitiæ, quæ & Justis, &
Peccatoribus communes sunt. Fama
inter bona exteriora magnum valde
bonum est, ut docet S. Thomas, & ad
commercium humanum virtutisque
vææ studium summè necessarium;
R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. 1.

Quòd bonum valde magnum sit, ma-
nifestum est, nam æstimatio vita que-
dam civilis est, & bonum hominis,
ut homo est, & differt à bellis, pro-
prium. Etenim bellæ, quamvis
etiam ipsæ appetant suo modo excelle-
re, sequæ opponant talem excellen-
tiam impediens, non affectant ta-
men bonum nomen, ut affectat homo,
& honorem inde redundantem. Imò
si illa æstimatio, quæ rem quampiam
Dominus prosequitur & custodit,
pretium ei addit, dicere necessum est,
quòd vita hæc Moralis, quæ inter ho-
mines cum quadam dignitate vivitur,
vitam naturalem quodammodo adæ-
quet, aut fortasse excedat: cum magna
hominum pars publicam infamiam
magis, quam ipsam mortem horreat.
Deinde bonum famæ ad commercium
humanum, & vitam cum virtute
agendam summè necessarium est: per
illud enim homo fit aptus ad omne
genus negotij & officij, quod cum in-
ter homines exercere oportet. Et, si
nihil aliud præstaret, nunquam non
frænum est, quo quis ab omnibus se
cohibeat noxis, quæ eam aut perdunt,
aut perdendæ periculo opponunt. *Fa- S. Thom.
ma facit idoneum ad officia humana, & quod l.
preservat à peccatis. Et quamvis Lex 20. art.
Christiana doceat, hominum æsti-
mationem expetendam non esse, imò
ne curandam quidem; id tamen sic ac-
cipiendum, ut veret eam tanquam fi-
nem sectari: nam famæ ut medij
cujusdam maximè ad virtutem exer-
cendam necessarij rationem habere,
est res laude dignissima, præsertim in
eo, qui non soli sibi à communi con-
fortio*

Fff

fortio

EGNERI
Christianus

fortio abjunctus vivit, sed etiam alijs: unde honor iuste aestimatur, nihil, quo perdat, mali operando; iuste etiam contemnitur, nihil, quo obtineatur, mali operando.

IV. Ex quibus omnibus, nullo negotio colligere licet, quanto damno DetraCTOR proximum abientem afficiat, cum suam ei famam devorat. Damnum certe tam magnum est, ut in comparationem cum homicidio veniat, licet illud non exæquet: *Qui occidit fratrem suum, & qui detrahit ei, pariter homicida esse monstrantur.* Et hoc ferme significare vult sacer Textus, cum modò novaculam, modò sagittam, modò gladium vocat, ad denotandas scilicet luculentas illas plagas, quas cordi proximi & bono eius nomini infligit. Imò si lingua DetraCTORIS se sola non pertingit ad proximum etiam vità naturali privandum, alijs tamen per frequenter enssem in manus porrigit, cum magna cruentarum rixarum, ac iurgiorum pars primam suam originem ex detractionibus habeat. Unde si observetur, quod res est, in istis privatis pugnis plerumque lingua rubra est, quæ ad illas provocet animæque.

V. Unde etiam credo, quòd, quoties hi detraCTORES os aperiant ad nocendum alienæ famæ, nunquam id faciant sine peculiari & proxima mali Dæmonis ope, qui paratissimus est ad linguam calore quodam stygio accendendam, ut audaciore verbulo furens proflus incendia excitentur: & *Mat. 3. 6.* hæc est illa lingua inflammata à geber-

na. Et qui illam ut talem melius nescit, se vult, solertiam attendat, & ardentissimas, quibus proximi famæ quantumvis crasse, in alijs omnibus negotiis Minervæ homines, nocent sciunt.

VI. Ut metam certius tangam, longe non ratò, imò ad oppositum diuntur, nimirum à laudibus. Sed Deus vos protegat: cum PISCAN oleum aquæ superfundit, arguendum id est, quod Tridente certo frangatur. Exordiantur sermone, quæ nescio quæ, reverà domus surcama habeat, prompta sit, provida, forte feminam sapiat in gerendis suis negotiis; majori tamen laude dignam futuram, si oculos ad rem alienam non adjiceret. Advertite, quod lingue genus! An non leoninæ, quæ bestiarum lingua tam non est lentis, etiam dum lambendo blandiunt sanguinem eliciant? Puellam quendam laudant, sed mox addunt ejusmodi correptionem, ut melius moræ foret, à laudatoribus istis suis maledictis, quàm præconiis impetant. Referunt de quibusdam verbrachiiis tenetis! quàm est vegeta, quàm hilaris, quàm vivax! Vox illa dicuntur, cum miser infans matrem habere incipit, languet, deficit, ac lecut virgula ex aromatibus confecta, consumitur, absque eo, quòd sciam, quomodo ardeat. Similem peritiam artem suis encomiis fascino detraCTORIBUS invenire, quæ plus saepe utitur.

tat, ea efficaciam, ut nulli contra illam exorcismi valeant.

VII. Alias tanquam miserantes telam suam ordiuntur, & cum minimè timeant, crudelitate finiant. Displacere sibi ajunt, quòd homo tantæ familiaris, insigniumque dotium ac facultatum, quem tanto cæteroquin amore prosequerentur, hoc & illo vitiorum genere se obstringendo, sibi suisque tam turpem notam inurat.

Mat. 23. Serpentem quandam rerum naturalium Scriptores referunt, capite candido, qui dentes non habeat, spumam ore tam malignam versare, ut insanabilis plaga inficiat, quemcumque aspererit. Serpentes hujusmodi sunt Detractores: videntur bonæ mentis esse, simplices, sinceri, adeo, ut, cum loquuntur, non nisi ex ardenti Zelo loquantur, nec dentes, quibus mordent, habere censeantur. Sed nequis accedat propius! quia spuma, quam è labris ejiciunt, dentium vicem supplet, & nimium quantum lechifera est. Videas, ait S. Bernardus, vultu casto emitti maledictionem, tanto persuasibiliorem, quanto creditur magis condolenti affectu, quam malitiosè proferri.

VIII. Nec minori postmodum artificio utuntur in augendis, & amplificandis aliorum culpis. *Os tuum abundavit malitia*, ait Propheta, vel, ut alij ex Hebræo legunt, *in ore tuo crevit malitia*, sicut in quibusdam speculis singulari arte factis objectum crescit, ita ut tantillus culex instar aquilæ appareat. Maria Soror Moyses cognatam suam per contemptum

appellavit athiopissam: non quòd hæc reipsa talis esset, sed quia inter Madianitas prognata ab athiopum confinibus veniebat. Ita voces earumque significandi vim detractores confundunt; vocant feminam illam procacem, quæ vivacior aliquanto est; aliam appellant adulteram, quam non nisi petulantius risisse, aut donum aliquod occultè admississe videntur. Quòd si etiam semel fortè lapsa est, ex facto unico vitam omnem judicant, ac obstinatè contendunt, præsumptionem contra illam stare, quæ fiat, ut jure semper mala censeatur, quæ semel talis ab ipsis deprehensa est. *Semel malus, semper presumitur malus.* Artificium equidem hoc illorum est, quod, ut ad id, quod innuebam, revertamur, jure credi potest ab assistente ipsis dæmone suggestum fuisse: ab illo, dico, qui Evæ in Paradiso terrestri faciendâ suâ ipsum potuit Deum suspectum reddere, unâ eademque operâ insimulando illum immoderati rigoris in præcipiendo, invidiæ in præcipiendi causa, & falsitatis in minis mortis obeundæ.

IX. Quòd si etiam scire aveatis, quare ejusmodi homines tot semper in detrahendo artibus studeant, id inde fieri assero; quòd hæc sit natura & indoles detrahentium, nocere occultè. Non aperto Marte adversarium suum aggrediuntur, ut contumeliosi, sed ex abscondito; ut omnino eos se demonstrent, qui reverà sunt, Proditores inquam; sapius enim ad sidera usque præsentem ali-

Fff 2 quæ

EGNERI
CHRISTIANUS

quem & audientem laudibus attolent: mox autem ac ille tergum obvertet, pessimis illum modis traducunt, & Aspidum instar calcaneum admordebunt. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.* Ex quo ipso nemo non videt, quanta in famam proximi strages resultet. Contumelia retorqueri potest à recipiente in inferentem; is cui honor detrahitur, plerumque nec in authoris notitiam venire potest. Fame suæ diminutionem etiam viri in Republica Principes ferant necessesse est, quantumvis à vilissimo subinde scurra proveniat.

II.

X. Et ecce damna, quæ Proximus absens à Detrahentibus de fama patitur. Sed levia sunt ista, si conferantur detrimentis, quæ Proximo præfenti & audienti in animo inferunt: atque hæc duplicis sunt generis; directa alia, ut loquimur, alia indirecta. Indirecta, teste S. Chrysostomo, sunt illa, quod hac ratione fama alienæ fures faciant, ut omne delictum evadat scandalosum, sitque alijs offendicilo. Ipsi enim sunt, qui ipsum illud non magnum malum, quod tandiu occultum latuerat, in lucem & publicum protrahunt. Hinc est, quod lepra illa, quæ intra vestes recondita nemini nisi infirmo nocebat, in quo nata erat, manifestata & à pluribus contrectata ita contagiosa evadat, ut paulatim ac sensim totam Provinciam inficiat. Videntur vitium perferre qui, qui eo infectos traducunt; sed, si suis res momentis libretur,

non ita est; potius enim hac ratione pudor tollitur, qui unicus est obsequio minus impietas alveo egressitate omnia inundet. Mulier illa, quæ vicinorum delicta recensere audire, locum nullat: Res igitur tanta non est, peccare, uti mihi imaginor; nec casus adeo rarus est, peccasse: & hæc ratione delicta sua hæcenus commissa pro levibus habet, ac novum vitium concipit, ac similia delicta perpetranda. Qui in occulto peccat, minus peccat, ait S. Thomas: imitari etiam Jura consentiunt, cum volumus ut severius longè castigentur, quam intra mœnia urbis, quam quæ commissa delicta committuntur. Jam Detrahentium scelere sit, ut nonnulli affirmari possit, cunctos palam delinquere, sed delinquere, ubi frequentissimus est populus, ipsis in urbis ac compitis; neque enim ullum jam delictum tam occultum est, ut illuc velut ad spectaculum non detrahatur: & quia nihil est facilius quam imitari, pauca committuntur scelera, quæ non transeant in exempla, inapplicabili morum corrupticia.

XI. Alterum damnum, quod Detrahentes Audientibus accersunt, est magis directum, eum facilissimo hinc evadunt ad delectationem ex audientia Detractione capiendum, & ad pariter detrahendum. Detrahitur se ipsi estibus quidam lapidiliter Detraherentium palato, non solum ob illam communem oblectationem, quam nemo non habet in dictis suis: *Letatur homo in sententia oris sui:* sed etiam ob delectationem quandam peculiaris

collarem. Qui enim alios vituperat, se gradu quasi superiorem ipsis constituit, & tanquam eorum Judicem: id quod est tacita quaedam contestatio, se ab illo malo, quod in altero criminatur, esse penitus immunem; unde tanto etiam amplius in seipso sibi complacet, ob excellentiam illam suam à se, detrahendo aliis, stabilitam, & alienis ruinis altius erectam. Exigua igitur invitatione & incitatione opus est, ut circumstantes hujusmodi cibi desiderium & famem concipiant, haud aliter, ac in illis, qui mensam opiparè instructam contuentur, facile orexix excitatur, nec ulla in accumbendo mora est: *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris & adversus filium matris tuae ponebas scandalum.* Pessimum est, quod ad mensam istam, quod plus avidè devoratur, eò amplius crescat voluptas: imò tanto etiam magis crescunt ipsae dapes, cum quilibet de suo ferculum unum addat, referendo novum aliquem eventum aliis ignotum: & atroborem in terram dejectam velut per otium plures in partes diffindendo; cum pietas postularer, ut prolapsam de potius denuo erigeret. Unde *D. Bernardi* fuit sententia, quod inter Detrahentes & detractionem audientes hoc interit: quod, qui detrahit, Diabolum suum in lingua habet; qui audit, in auribus: id quod sic accipiendum est, quando, qui audit, Detractione delectatur *7. bon. ex odio versùs Proximum conce- pto; aut quando absque isto odio Detrahentem ad portò detrahendum inci-*

tat, aut cum potest, illi non resistit.

XII. Oportet igitur, antequam ad alia transeam, vos docere adjurationem quandam admodum efficacem, quâ maledictum hunc Dæmonem ab auribus vestris, si fortè intrâset, expellatis, atque etiam aditum, ne ingrediatur, occludatis. Inprimis igitur fidem tot honoris alieni detractionibus nullam adhibete. An vobis æquum videtur, testes nullo prævio examine admitti? reum inauditum condemnari? imò ne interrogatum quidem, aut rei statu ullatenus investigato? Quod si fortè facere non potestis, quò minus dictis assentiâmini, saltem nemini cuiquam illa revelate, non domesticis domi, non amicis aut conjunctis foris. Quàm stultè se purgant, qui dicunt: *detraxi, sed primus non fui, qui rem vulgares; ex alijs intellexi, uni soli aperui, arcani fide petita.* Nemini, ne uni quidem, sic audita revelanda sunt. *Au-Excl. 19. disti verbum adversus proximum tuum, 20. ait Spiritus S. commoriatur in te; absque eo, quòd ad animum cujusquam alterius propages. Commoriatur in Exod. 37. te. Hinc Dei præceptum est, ut fungi purgatorum in Templo illo suo luminum non solum in destinata ex auro purissimo vasa conijcerentur, sed quamprimum etiam extinguerentur, ut ne quem teter inde odor asslaret; docens hoc paradi-gmate, prava exempla omnia celanda & regenda esse. Sed furdis propè ista canuntur. Quàm pauci enim sunt, quos vel religio, vel prudentia, ad hujus documentum*

Fff 3 execu*

IGNERI
CHRISTIANUS

executionem impellat? *A facie verbi parturit fatuus.* Vix ad nescio quem rumor aliquid pertulit, quod alterius famæ notam inurat, cum parturientis instar stare nescius, horam quamlibet millenas reputat, dum conceptum animi fœtum pariat; & mirum quantum affligitur, dum inveniat, cui arcanum revelet. *A facie verbi parturit fatuus.*

XIII. Non sufficit etiam ad se purgandum: *Audiri hæc referri ab alijs, primus non fui:* non sufficit, inquam, quia, ut initio ostendi, fama læditur, etiam cum vera, sed eatenus ignota, recensentur. Etiam qui deliquit, etiam si, ut ita dicam, dominium famæ suæ amiserit, justè tamen ejusdem retinet possessionem: quia publica delicti hujus ignorantia facit, ut pro innocente, uti antehac, habendus sit. Antiqui Spartani, cum in aciem campumque prodibant, rubris se vestibus induebant, ne cruor vulnus acceptum manifestaret. Nunc omnibus jus istud competit, quàm diu vivunt, ut noxis suis occultatis sani videantur, licet luculenta sub veste plaga copioso sanguine manet. Vos proinde, qui illam nudatam aliorum oculis spectandam exhibetis, nullâ prudenti causâ impulsî, Rei estis illius pudoris, quo miser suffunditur, qui ipse sibi, nemine alio conscio, mederi poterat, & sanari.

XIV. Imò si quod delictum aliquando fuit publicum, subinde autem aut morâ temporis oblivioni traditum, aut vitæ emendatione redintegratâ famâ velut sepultum; haud

fanè levis noxa erit de illo denovo sermone miscere, & nescientibus manifestare. Et verò ea te non Charitas solum, sed & Justitia lædetur, cum fama, quam proximus annorum beneficium, & ope emendationis suæ receperat, auferatur. Neque tamen hoc ipso prohibemur, noxam etiam gravem alterius manifestare, si id non nocendi animo, sed aut consilij exquirendi, aut dandi gratiâ, aut etiam studio impediendi damnum, quod ex delicto, si occultum maneret, in bonum publicum, aut privatû redundare potest; licet ea in te admodum curâ procedendum sit; & sicut chirurgus plagam latius non aperit, quàm qui per sanandæ necessitas exigat, ut non augere vulnus & periculum, sed sanitatem restituere intendat; ita & aliena delicta manifestare plus non oportet, quàm mali impediendi ratio exposcat, cum hujusmodi manifestatio non ad criminis conscientiam propagandam, sed ad nata inde damna reparanda referatur. *Licet vitæ hominibus officere, si ei servitute non debemus.* Ita Lex, quâ docemur, non semper injuriâ fieri, quod alijs jure veritum est & interdictum.

XV. Postremum, quod iis, qui alienæ famæ detrahentes audiunt, fugerere possum, documentum est; eos vel non audire, vel saltem nunquam libenter audire. Iplius Divini Spiritus insignis ac præclara hæc doctrina est, perquam idonea adversus Detractiones, ut aures nostras spinis sepiamus: *Sepe aures tuas spinis; linguam tuam nequam noli audire.* Non jubet, ut

linguam nostram sepe cingamus, ne aliis narret, quæ auditæ mala: neque enim istud sufficit: jubet, ut etiam aures sepiamus, ne illa audiamus. Fit autem istud, cum vel detrahenti opportunè aures vellicamus, hortamurque, ut ab ejusmodi rerum enarratione desistat; id quod tum maximè locum habet, cum aliquid in loquentem autoritatis nobis competit; aut cum id solerter agimus, ut aliò sermonem convertamus, proposità dextrè in medium de re, aut negotio alio quaestione; quæ fuit laudatissima solertia magni illius Thomæ Mori, & vitæ ex virtute actâ, & morte constantissimè obita laudatissimi. Saltem defigendi sunt in solium oculi, & non dissimulandum, quòd stomachum nobis moveat narratio non cum Justitia mînds, quàm Charitate pugnans. *Ventus Aquaslo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* Quapropter, ut nemo merces, quas scit ingratas esse, & emi à nemine, venim exponit; ita nemo perget alienas noxas propalare, ubi noverit se audientibus molestum esse. Sic ad rem bellissimè respondit vir sapiens narranti, audivisse se ab inimico illius dici sanè quàm atrociam: Non ita liberè, reposuisti, alter in famam meam grassatus esset, nisi tu illi & aures & vultu placido auscultâsses: quare si quid peccatum est, à te peccatum est. Scribunt de Delphino Philosophi, quòd audiat, etsi audire non videatur, propterea quòd hujus sensus organum nulpam appareat. Idem faciat oportet, quisquis detrahentes impe-

dire autoritate non potest: oportet, ut, etsi audit, se tamen audire dissimulet: non applaudat, non subrideat, aut annuti probet, non quovis alio signo prodât, placere sibi, quæ narrantur. Sic amicè cum Sanctissimo Plalte persequemur Detrahentes: *Detrahentem secreto proximo suo hunc persequer. Aut saltem providè agemus, ne nobis ea Detractio possit imputari. Cum Detraкторibus ne commiscearis, quantumvis cæteroaquin inter eos assidue nobis esset vivendum. Verùm si vel hominis offendendi metus, vel quævis alia similis causa nos ab ejusmodi actione, quâ resistamus Detrahenti, impediât, tum enim verò & loquens & audiens tam se ejusdem noxæ reos constituunt, ut Mellissus Doctor ignoret, quis magis delinquat. Detrahere, aut Detrahentem Lib. 2. de audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.* *Confid. ad Eug.*

XVI. Observate, quot cautionibus ac provisionibus sit opus, nequid detrimenti capiat bonum & tam ingens, & tam delicatum, quantum est bonum Proximi nomen & existimatio; & capite tandem, quantum humano generi Detrahentium linguæ noceant, dum & famam absentium, & animos præsentium eo loco, quo illæ peccant, tam graviter lædunt. Quamquam quod hæcenus à me allatum est, comparatione eorum, quæ dicenda restant, aut nihil, aut certè parum est. Os detrahentis os Viperæ est: *Plena Jac. 3. 8. veneno mortifero.* Non tamen imitatur viperas interficiendo: hæ enim non se, sed alios; at illud se magis, quàm alios veneno inficit. *Custodite*

IGNERI
CHRISTIANUS
13

Sap. 1. v. 11. vos à murmuratione, & à detractione parcite lingua. Magnus omnino animæ hostis est lingua detrahens; ab hac proinde turos vos securosque reddite, clamat Sapiens, vigili omnia oculo observate, construite receptus, aggeres erigite: *custodite vos.* Et si nec Proximi existimatio, nec ejus animus vobis cura cordique sunt, vestram saltem rem, vestram salutem, quæ non minus periclitatur, non negligite: à detractione parcite lingua h.e. à detractione linguae parcite vobis.

ita Hugo hic.

S. Th. 2. 2. q. 73. a. 3.

XVII. Periculoso omnino loco sunt res Detrahentium & ob morbi ipsius, sanè quàm maligni, indolem, & ob remedij difficultatem. Primò peccata, quibus proximus læditur, metiti solemus damno majore aut minore, quod inferunt: hoc enim ex detrimento fit, ut in peccatis censentur. Quod cum ita sit, quis explicet, quàm grave sit delictum suamet naturâ Detractio; quia, ut diximus, Proximum privat vitâ morali, quam multi non minoris, aliqui etiam pluris faciunt, quàm vitam naturalem? Nec id immeritò, ad stipulante Legge; propterea quòd vita naturalis paucorum annorum periodo definita sit; existimationis autem & famæ vitâ æternùm vivere videamur. *Per bonam famam homo vivit in æternum.*

XVIII. Nec satis ac pro merito Existimatio ponderatur, dum ut bonum particulare attenditur. Necessè est illam contemplari ut bonum quoddam universale, quod ad omne aliud genus bonorum acquirendum serviat. Pavo ubi illam tot illustrem

coloribus, quâ explicatâ unice impetibus, caudæ appendicem amiserit, se ipsum erubescens in gallinarij angulo latere cogitur. Eadem non paucorum infelicitum mortalium fors est, qui ob famæ jacturam, quam pati sunt, miseram trahere vitam debent, ab aliorum consortio exclusi, prohibiti que officijs ac muneribus non utilibus minùs, quàm splendidis, quibus cæteroquin administrandis honores bonum nomen fecisset, quæque se re quo qui optimo sperare potuissent.

XIX. Nascitur præterea hæc alieno nomini nocendi sitis ex febrili interna, & humorum, motorum ac perturbatorum, dissensione longè gravissima. Crebrè enim animus Detrahentium incenditur odio intellimoga Proximum: ex quo fit, ut cum illi manu & armis vindicare se nequeat, linguam arment, & tacitè quidem ac sordâ, sed non minùs acri vindictâ se ulciscantur. Aliàs Livor & Invidia, quæ cor exedunt, linguæ suggerunt verba maledicæ & hinc Angelicus Doctor Detractionem non Iræ, quæ contumeliosis verbis præfentes lædit, sed invidiæ filium agnoscit, quæ cum omnibus quidem modis nocere cupiat, præcipuè tamen damnis occulte lætatur.

XX. Aliàs ad detrahendum impellit mera nequitia, & pessima bonorum aliorum statum evertendi, virtutum existimationem auferendi, aut scandala ac animorum alienationes passim seminandi voluntas; eventu destituta plus sæpe respondente. Factore lætæ malè extinctæ plures prægnant

abortiverunt : haud paulò sapiùs ,
personæ , quæ sancta melioris vitæ
proposita conceperant , jam virtutum
semitam ingressæ , retrò abeunt , mu-
tant decreta , ad id impulsæ pestilentis
cujuspiam linguæ diceris , sinistris
sermonibus , calumniis adversùs æsti-
mationem de ipsis conceptam sparsis.

18. *Redime me a calumniis hominum* , aje-
bat David , *ut custodiam mandata tua* .
tam durum est etiam virtutem & ho-
nestatem amantibus perverlas inter
linguas divinis præceptis adimplen-
dis suscere .

XXI. Et hi fermè Detractionis fon-
tes sunt : ubi verò illa è nullo eorum
oritur , ex summâ certè salutis nostræ
procurandæ negligentia scaturit . Cum
calor naturalis extimas corporis par-
tes nimium accendit , interiores frige-
re necesse est . Par est eorum condi-
tio , qui toti in discutiendis & inqui-
rendis factis alienis , sui curam suo-
rumque commodorum negligunt ; non
plorant mortuos suos , suas inquam
noxas , qui toti sunt in deplorandis
aliorum funeribus ; rectius dixissem ,
toros in coelle , ut fingant se aliorum
morti illacrymari . Hinc observare li-
cet , non alios fermè magis Detractio-
nis vitio infames esse , quàm quorum
mores ipsi mali sunt ; quos inter pri-
mum locum Lascivi sibi vendicant ;
sive quia facile sibi persuadent , alios
laborare miseris , quibus ipsi tam in-
felicitet premuntur , sive quia solatio
ipsi est morbum , quo laborant , plu-
rimos infecisse , ut sic in turbâ pluri-
um ægrorum faciliùs lateant . In po-
pulo magis non agnoscat .

R. P. Segneri Christi. Instr. Tom. I.

XXII. Sed qui vivis non parcunt , uti-
nâ mortuos saltem præterirent ! verùm
nec hoc quidè sperare licet . Leo , si bel-
luâ occisam offendat , ubi obtutu eâ de-
libavit , intactâ dein præterit . Quidni i-
dem facere possent immanes istæ bel-
luæ Detractores ? Alia omnia ; nec
mortuis abstinent ; etiam ossa eorum
perversâ suâ linguâ inquietant , nec
iis delictis intactis , quibus condi-
gnâ satisfactione expiatis jam Divina
forlan ignovit Justitia : atque hinc
continget , ut perfrictæ isti frontis
mortales sapius non dubitent ad su-
um examen & tribunal vocare ut re-
os , qui pridem felices in Cælo trium-
phant . Qui impositam sepulchro

statuam violare præsumit , violati se-
pulchri reus constituitur . Si Lex hæc
in re nostrâ obtinet , nos proportionè
quadam asserere poterimus , quòd , qui
Mortuos offendit , evertendo simula-
crum illud , quòd vitæ integræ & in-
culpata æstimatio erexerat , in Poste-
rorum animis , damnati debeat ut re-
us violatæ pacis , quâ cæteròquin mor-
tui in tumulis suis gaudent .

XXIII. Quid jam vobis videtur ,
an malignus est detrahentium morbus ?
& quamquam hoc me terret , magis
tamen cohorresco , dum observo ,
morbum etiam esse vulgatum . Hoc Ps. 108.
opus eorum , qui detrahebant mihi ; Psal. 20.
tis Regii verba sunt . Hoc est opus
hominum otiosorum , quorum tantus
est numerus , à primo diluculo in se-
rum vesperum alienam tamam arro-
dere . Sive per plateas obambulent ,
sive sub porticibus confideant , sive
ad officinarum januas subsistant , u-
bique

SEGNERI
Christianus

*L. sepul-
chra ff.
de sepul.
viol.*

bique fœda maledicæ suæ & inhumana lingua vestigia, velut sordidas oris spumas relinquunt. *Opus eorum*. Qui aliàs nec trium vocularum peti- odum aptè texere norunt, horas inte- gras de aliorum erratis etiam non sine acumine disserunt, Ranis illis per- similis, quæ non, nisi ad coaxandum vocem habent, nec alium sanguinem, quam qui oculos circumdat: quid- quid in ipsis est virium ac facultatum animi, totum impendunt in iudicio de aliorum factis ferendo; & quid- quid vocis, in iis subinde enarrandis: non maioribus, non æqualibus: non inferioribus parcitur, sed omnes nullo respectu offenduntur. *Posue- runt in calum os suum, & lingua eorum transiit in terrâ.* Sacrum, & pro- fanum ordinem, Dominos, Servos, Principes, Plebem infimam, Virgines, Conjugatos, quidquid calum & ter- ras interest, id omne sibi pro scopo sagittarum suarum præfigunt.

XXIV. Equis jam erit, cui & volun- tas & facultas suppetat tanta stragis, reparandæ & resarciendæ? & tamen nisi illâ reparatâ spes veniæ à Deo consequendæ nulla est. Hic quoque locum habet tritum illud: *Non re- mittitur peccatum, nisi restituatur abla- tum.* Interim reparatio & restitutio hæc difficultates patitur gravissimas. Earum prima est, quòd perquam ar- duum sit damnum illatum agnoscere, illudque iustâ mensurâ æstimare. Fu- rem cogitate, qui frumentum molen- dino inferendum auferat: hic plus sa- tis novit, quantum sit, quod abstulit. At si fur idem auferat frumentum,

quod ut semen terræ committendum erat, damni illati magnitudinem æsti- mare nescit; quia cum later, quo- tum ex eo semine frugum tellus mes- sis tempore fuisset redditura. Ita modò dicam & ego, quòd nulli æsti- possit iusta æstimatio damni à lingua detrahente facti: solus illos Deus aquâ mensurâ ponderat. Pecore Puella aliqua; sed later factum: ut illa nubere potest & conjugio illius tam honesto, sibi que optato, quàm virgineum pudorem illibatam thalamo inferret. Interim audaculus quopiam Puellæ delictum vulgat: cum ecce evanescit omnis Martialis honorati spes, & misella, ut vixit ubi fulcro destituta, humi serpere cogit omnium pedibus conculcanda, nisi forte etiam reliquum vitæ in fœdi- bus lupanaris sordibus tradatur. Quis in eventu eiusmodi satis æstimet detrimentum miserissima huic puella linguæ detrahentis maleficio illatum? Latebit eiusmodi damni magnitudo, dum illud Sol divinus revelat, qui nos iudicaturus omnes nostras tenebras admirandis suis splendoribus illustrabit.

XXV. Altera difficultas in delo- re serio de famâ ablatâ concipiendâ, & voluntate efficaci malo, quòd eius fieri potest, medendi consistit: quia absque his pro damno illato haudquaquam sit satis. Detraكتور enim haud pauci fallendi temporis gratiâ de aliis detrahunt: & quæ- admodum Nero Romam animi cau- sâ incendit, cytharamque manu tenens immanis incendiû spectaculo, cura,

Tf. 72.
9.

carz & timotis omnis expert, se oblectabat; sic ipsi ad relaxandam nonnihil festam scilicet mentem faces alienz famz admovent, & quando subinde erumpentem luculentam flammam vident depalci integram familiam, Religiosum Claustrum, aut quemlibet plurimum cœtum, hilares & minime anxii assistunt spectaculo tam fanesto, pro eo, quod omnem, quam possunt, operam restinguendo incendio adhibere deberent. Pro sacro Tribunali ita se purgant; quod non possint à Detractionibus abstinere, ob inveteratam assuetudinem: quod intendant differendo tempus fallere, non ejusquam famz nocere cogitant. Firmaverunt sibi sermonem nequam: sic animos sibi addunt ad loquendum, sicut eatenus locuti sunt, cum tanto aliorum dispendio, pro eo, quod terro corrigere se statuunt & admissorum veniam supplices petere. Quis jam sibi pertusdeat, paratos ad componenda delicta illata, qui ne quidem ab inferendis deinceps abstinere se posse existimant? Audite, quæ cum eiusmodi farina homine gesta sunt. Vir equestris ordinis, eorum ex numero, quibus familiae & natalium splendor ad id unum deseruit, ut tanto clariùs eorum delicta cernantur, coram pluribus jactare se solus est. Mentiebatur autem splendide se nobilem Matronam in casum impulsisse. Visum tamen est illi hoc peccatum Pœnitentiæ Sacramento eluere: elegit autem arbitrum in sacro illo foro P. Alphonsum de Castro à familiâ Minorum D. Francisci,

virum ingenij sui monumentis Orbi notissimum; eique, quid peccasset, exposuit. Alphonsus auditâ, quam diximus, injustâ Matronæ innocentis diffamatione, & nullo præterea delicto, surrexit de sede, sic cum allocutus: Domine, reprobuses: faceste, faceste, nil tibi Confessio proderit: & cum dicto se subduxit, resisto Equite, quem res insolita non parum consternerat, & ad desperationem propè adegerat. Spe tamen erectus apud alium sacrum Judicem plus aut patientiæ, aut benignitatis inveniendi Patri Victoriæ & D. Dominici sodalitiõ reum se stitit, quem virum non minor, quàm Castrium, eruditio, aliæque dotes commendabant. Huic ante omnia non tam morbum suum, quàm Medici, quem erga se crudum inhumanumque esset expertus, in curando imperitiã aperuit. Animos inprimis pœnitenti Victoriæ addidit, Alphonsi agendi modo, quàm potuit, benignè excusato. Tum demum Eques suâ de calumniâ se accusavit. Ad hæc Victoria: Necessè est, vir nobilissime, ut dicta retractes, coram iis maxime, quibus audientibus Matronæ honestissima adeò scdè detraxisti. Epone retractem? Respondit Eques: hoc fieri nequit absque gravi astimatio nis meæ honorisque jacturâ. An jubes, Pater, ut ego me mendacem palàm profitear? His auditis Victoria totum se convertit ad persuadendum homini, nullam esse in virtute excendâ infamiam, nisi apud insanos, aut deliros: & quanquam aliqua

Ggg 2 fortallid

IGNERI
Grisianus

fortassis infamiae notâ inde inureretur, oportere eam rem æquo animo ferre, & infamiam sibi justè debitam postponere infamiae, quâ ipse Innocentem planè, nihilque tale commisitam nullo jure aspersisset. Ita rationem morbi postulare, ut ibi coneratur scorpio, quâ parte ferit, si quidem sanitas seriò queratur. Sed observate jam Detrahentium indolem. Eques non cedere rationum momentis, non auctoritatem pili facere, non quidquam salutare ad animum admittere. Quare Victoria è sacro tribunali assurgens: sapienter, inquit, egit Alphonsus, quòd audire te recusavit; præ me ille sapit, qui morbi tui naturam principio statim agnovit, quam ego sub finem denique perspexi: Ita est, Reprobus es, non Confessione, non alio porro remedio emendandus. Quibus dictis & ipse Equiti tergum obvertit, fessus tam seriâ, sed irritâ hortatione.

XXVI. Atque hæc est Detrahentium conditio, remotissima à verbo de noxis dolore, remotissima à voluntate seriò reparandi damnum datum, retractando, quæ perperam asserta sunt; quin & remotissima ab obtinendâ fide, si quando ad famam redintegrandam placuerit dicta revocare. Nodum infune crasso facilè solveris: at solvere velle in tenui filo serico irritus labor est. Damnum illarum in rebus, nodus est factus in fune canabino, quem, si animus obstinatus sit, non ægtè solvat, sic ut nihil porro reddi debeat. Sed delicatior res est fama, & alterius rationis damnum,

quod in hac illatum est. Nodus serico in filo factus, quem excutere plus quam difficile sit. Hæc est minimum indoles; proniores sunt ad dandam malo, quam bono fidem, unde eadem lingua, quæ plerumque potest in honore & æstimatione inveniendi & tollenda, parum aut nihil subinde posse deprehenditur eadem reddendâ. Si sidus altitudinis noxium plagam orientis Solis, idem autem propitium occidentis occupet, plus suâ malignitate nocet illud, quam istud benefico suo influxu possit; sed lud enim diutius nostrum Hæmiplegicum obambulat. Si laudibus minem quempiam ornes, non tantum abibit temporis, & nemo per laudum illarum recordabitur; ut vituperes, tam altè in animos opprobrium descendet, ut excipari vix possit, maxime si vituperium in hominem cecidit suâ aliâ virtute laudatum & stimatumque. Dicit non potest, quia facile ejuscemodi hominibus lingue maledicæ noceant, & quidem ab eo remedio. Equorum cicatrices depilati pili mox iterum vestiunt; cicatrix in viro depilis manet. Ita in hominibus integrâ adhuc famâ, cum vulnus, quod eam lædet, vestigiis relinquet & notam, o quam difficiliter debilem! Calumniarum, inquit illius vox fuit, *semper aliquid remanet.* Detrahe inimico, nam estis reus propterea proditurum sit, manebit tamen in illo, si non vulnus, cicatrix certe; *semper aliquid remanet.* Nunquam ex toto illi abrogabitur fides; quæ

nam pronis animis creditum est. Fulmina sunt, quæ non comburunt, effuscant tamen: his Detrahentium linguas comparaveris, quæ si in cineres redigere bonam de aliquo opinionem non possunt, saltem illam offuscant. Idcirco non malè affirmarim, quòd sicut divinus ille Spiritus de Cælo lapsus in Apostolos, linguas eorum cælesti ardore accendit, eòsque in Gratis stabilivit; ita Spiritus Detractionis è stygo emerit, & Detrahentium animos occupans, linguas eorum accendat ardore infernali, eòsque in statu reponat desperationis confirmatæ.

XXVII. Prævideo, quòd ad jam asserta responsuri sitis; quòd si, qui audiunt, fidem dictis adhibere nolunt, si quando vos reddere famam cupiatis retractando, eòsque laudando, quos calumnià aliquà impetieratis; nihil tum penes vos noxæ residere, infelicitatis hoc vestræ esse, vestræ imbecillitatis, & propterea vos ad plùs non obstringi. Ita tanè est, verùm an nescitis editum illud Legis? *Qui non habet in ore, luan in corpore.* Memoro ego, ne iustus Judex Deus nunquam hanc ipsam normam sequi velit; sic, ut qui obligati ad reddendam Proximo estimationem, reddere eam non valent, luan eam in animà, multis privati benignissimi Dei Gratias, quibus adjuvi, operati essent salutem suam, destituti autem eius, ipsius facturam subituri sunt. *Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa, propterea Deus destruet te in finem.* Amali linguam idoneam

ad præcipitandos homines à te infamatos in fossam tam altam, ut inde ex toto emergere ipsis nunquam liceat; quà de causà Deus tandem pro meritis tecum aget, & teque æternùm destruet ac perdet.

XXVIII. Pronis igitur auribus animisque admittite apertissimam illam Spiritus Sancti admonitionem. *Attende, ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in morte.* Attende. Tibi, tuisque rebus invigila. Qui domi suæ satis habet, quod agat, quid necesse est alienas eum domos obire? *Attende, ne forte labaris in lingua.* Perpende, quòd Detractio non sit lusus hominum otiosorum, ut tute tibi persuades, sed sit periculum, cuius vel sola umbra ad sedulam te custodiam vigilantiamque excitare debeat. Non satis est frivole dicere: *Ita assuevi; jam aliter non possum.* Tantò tua noxa erit gravior, quantò frequentior. Si *Instit. t. 1.* fera evadat semel, & damnum det, *quadr. Lex Dominum non eo rigore obligat pes patu-* ad illud reparandum; obligat tamen *per.* eundem, si fera sæpius ita erumpere consueverit. Divus Bonaventura *in c. 11.* tribus de causis linguam homini *da- Luc.* tam affirmat: ut Deam laudet, Proximum ædificet, & se accuset. At Detractor nullo respectu fines à Deo intentos omnes violat, & pessundat. Deum ita graviter læssit, ut illum Deus oderit. *Detractores Deo od. Rom. 1. 30.* Proximo occasionem delinquendi præbet, aut in Detractionis societatem ac communionem euns pertra-

pertrahendo, aut excitando, ut vel in
audita Detractione se oblectet, vel ijs,
qui non audierant, male providis
enarret. Suimet autem exitii causa
est, quia res suas eo loco constituit, in
quo salutis vix ulla, si tamen ulla,
Ibid. spes superfit. Jure ac merito Gen-
tium Apostolus Detractores in eorum
numero reponit, qui dari sunt in re-
probam sententiam, & derelicti à Di-
vinâ Justitiâ in manu perversa volun-
tatis suæ, ac desideriorum; cum sit
pronom admodum è Christianis ali-
quem ob Detractionis peccatum æter-
nùm perire: idque vel quia ad casti-
gandum ejus factum, in eadem, quæ
in alijs reprehenderat, delicta ac sor-
des, & fortè etiam majores, labi per-
missus est; vel quia velut per ludum
ac jocum detrahere solitus, nunquam
verâ penitentiâ delictum suum re-
tractat, atque ad eò veniam nunquam
meretur. Psaltes Regius os Detra-
ctoris, *Os peccatoris* appellat, perinde
ac si Detractor præ impijs alijs omni-
bus, & per antonomasiam *Peccator*
dici mereatur, usque ad eò totus in
peccatis sordescit.

Pf. 108.
9.

XXIX. *No fortè labaris in linguâ,
& cadas in conspectu inimicorum infi-*
dantium tibi. Initio offendes tan-
tùm levia quædam & minoris mo-
menti errata proximi carpendo; sed
deinceps paulatim Detractionis dul-
cedine inescatus cades omnino in
conspectu Inimicorum. Anima tuæ,
qui miris modis sibi plaudent; satis
gnari, quàm profunda sit vorago, in
quam & alios impellis, & tenet etiam
ipsum præcipitem agis.

XXX. *No labaris & cadas, & tu-
sus tuus insanabilis in mortem.* Hoc
hoc est, quod præ alijs motivis omni-
bus absterere vos debet à casu & pro-
cipitio tam formidando, à Detra-
ctione inquam & imminutione fame-
liæ; quia casus hic ferè remanere
cæret, & sic prolapsus, perit, quan-
quam resurgat. Neque damnum
proximo illatum reparari potest, ut
que quod vobis ipsis inferis.

XXXI. Non potest relinquitur
num alteri illatum; quia verba, ut
vulgaris habit paromia, manobri-
rent, quo retrahi & revocari possunt,
ubi semel ex ore eruperint; & in
quamvis facili negotio Proximi facta
noceatur, tolliturque eius existimatio,
summè tamen arduum negotium
est, eam reddere. Lanam albam non
magno artificio colore nigro tinctori,
at quis erit artifex, qui nigra color-
rem suam restituat? Accedit & illud,
quod intra primos limites non fit
Detractio, sed ferè semper augetur
haud aliter ac Echo. vocem eandem
crebrò multiplicat. Vix excidit ve-
stro ex ore vox in viciniorum Proxi-
mi, cum illam totâ mox in viciniorum
peti ac replicari auditis. Denique
nonnunquam ex summis Alpium
gis exiguis nivis globulus; sed sit
inter cadendum aliâ aliisque adhuc
sciente, auctus in tantam molem ex-
crevit, ut integros vicos & oppida ad
Alpium radices sita opprimeret & vi-
staret. Similes strages non semel
Detractio lingua edit, quæ occultum Pro-
ximi dedecus uni duntaxat manifestan-
stando, paulò post illud per aliorum

ora vagatum sic auctum videt, ut famulias integras valeret, tot sinistris tumoris & loquacitate vanissimâ oppellis.

XXXII. Si porro irreparabile damnum est, quod Proximus patitur, quomodo, quod vobis ipsis creatis, refarciatur? Et Charitas & Justitia, à vobis tam male habitæ vindictam semper magnis clamoribus reperent: sit casus insanabilis ad mortem. Mortem hæc timere sibi debet Anima vestra, si aliis tantum infert nocumen: credere potest se ex numero esse infe-

licium illorum papilionum, qui dum lucernam extinguunt, seiplos comburunt. Non ira sit posthac, Auditores charissimi, attendite diligenter nimum quantum gravis jactura est exponere Animam periculo morbi & valetudinis valde ancipitis, licet denique sanitatem recuperet: quid eritigitur, si agatur de morbo non periculoso tantum, sed de morbo, qualis est, de quo agimus, pletumque insanabili? *Attende, ne forte labaris in lingua, & cadas, & sit casus tuus insanabilis in mortem.*

DISCURSUS XXX.

De Mendacio.

Inter diversa supplicia, quibus veræ Republicæ Mendacium multare solita sunt, illud præ cæteris mysterio plenius esse videtur, quo Artaxerxes sapientissimus Persarum Rex hanc noxam vindicabat: tribus enim stylis suam mendacibus linguam perforari jubebat. Non miror Reges Persas magnopere exosos fuisse omne mendacium, cum constet, antiquo illius Aulæ more receptum fuisse, ut summo studio eorum filiis inculcarentur non à Disciplinarum tantum, sed etiam Morum Magistris ac Præfectis, nequid unquam veritati dissentaneum loquerentur. Quid autem tria illa vulnera, quibus mendacem lin-

guam castigabant, significant, non perinde assequor: neque operæ pretium censeo, multum in eâ re pervestigandâ laborare: unum potius ali-quod, quod triplici illâ plagâ portenderetur, arcanum supponam arbitrio meo; quod si verè à Persis significatum non est, par tamen fuit, ut significaretur. Digna enim verò est ejuslibet mendacis lingua perforesione triplici, ut triplex plaga respondeat offensæ, quâ, qui mentitur, offendit Naturam, Rationem, Fidem. Atque circa hanc materiam hodiernus meus Discursus versabitur, cuius verba opto, ut plûs quam unquam non viva modò, sed penetrantia sint, ut transfodiant, si non linguam nocentem, animum saltem eorum, qui me audituri convenerunt.

II. Pri.

IGNERI
Christianus